







34  
33

FACULTATIS  
MEDICÆ

IN  
ALMA ac PERANTIQUA ELECTORALI  
AD HIERAM ACADEMIA.

p. t.

DECANUS  
JOANNES  
PHILIPPUS  
EYSELIUS,

MED. DOCT. ANATOM. CHIRURG. ET BO-  
TAN. PROFESS. PUBL. P. L. C.  
LECTOREM BENEVOLUM

*Salvere jubet*

*Eundemque ad disputationem Inauguralem  
officiosè & decenter invitat.*

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

FACULTATIS  
MEDICAE

IN  
ALMA MATHENSI AC ACADEMIA  
AD THESSALIA

DECANUS  
JOHANNES  
PHILIPPUS  
EYSELIUS

MED. DOCT. ANATOM. CHIRUR. ET BOT.  
PUB. PROFESS. THESSALIAE  
ALMA MATHENSI AC ACADEMIA

Handwritten text, likely a library stamp or signature, mostly illegible due to fading and bleed-through.







**H**ominem ex duabus partibus essentialibus anima nempe ac corpore constare, atque hoc materiale & mortale, istam verò immaterialem & immortalem esse, plurimi Doctorum affirmant; Quomodo autem harum partium essentialium amicabile commercium fiat, & cuius beneficio una alteri alligetur, in hoc plurimi contentiones ferram trahere solent; saniores tamen spiritus vitales & animales tanquam medium hujus nexus animæ cum corpore accusant, & quidem non absque ratione, siquidem miram hujus commercii utriusque necessitatem & faciliorem unius in alterum vitij transfusionem supradictorum spirituum adminiculo perfici crediderunt plurimi, imò spiritibus modo allegatis consumptis & plenissimè deperditis, ipsa anima emigrat è corpore; hinc nonnulli spiritus animales & vitales pro ipsâ anima agnoverunt, atque cum Sacer Codex animam in sanguine latitare asserat, ob hanc rationem eum sarciminum ex sanguine brutorum præparatorum improbant & rejiciunt. Proxiorum Autorum inter se disceptantium sententiarum farraginem hic evolvere atque Epicurism addere, præsentis non est instituti, pronunc solummodo demonstraturus



rus sum, quomodo sana ratio soli homini competens  
[quà Deus Omnipotens Creator in hac vita homini nihil  
excellētius & mirabilius concessit, & quæ hominem à  
brutis segregat, quæque omnis humanitatis fons, mirabi-  
lisque sapientiæ omniumque virtutum & actionum lau-  
dabilem scaturigo existit, & quæ secundum *Helmontium*  
verè particula auræ Divinæ appellari meretur, cuius be-  
neficio mysteria cæli homo comprehendit, intelligit & se-  
met ipsum cognoscit, insatiabilemque habet scientiæ, æ-  
ternitatis & beatitudinis appetitum] sæpius in certis affe-  
ctibus Ecclipsin patiat, dum nempe æquè ac corpus va-  
rias experitur calamitates & varijs modis hujus exerci-  
tium ita depravatur, ob spirituum animalium & vitali-  
um aliàs transparentium, subtilium & lucidorum obscuri-  
tatem, opacitatem & quandoque tenebricositatem, ut re-  
rum imagines velut umbrâ aut tenebris obductas, repræ-  
sentent, imò nonnulli rectæ rationis usu priventur, dum  
se canes aut lupos esse credunt, eorumque mores & spe-  
ciem latratu imitantur; alij se vitâ defunctos putarunt  
& sepulchro statim inferri postularunt; alij se corpus vi-  
treum gestare imaginati, ne asperius compressi in partes  
disfilirent, verebantur; iterum alij sibi persuadent, se  
commisisse homicidia, cum tamen horum nihil unquam  
factam sit; atque tales circa omnes aut plurimas res deli-  
rant, ut ferè de nullo subjecto ritè iudicium ferant, eò,  
quod spiritus animales ceu instrumenta proxima, quibus  
peraguntur mentis operationes, vitiosè moveantur, tor-  
pidi ac minus agiles sint, ut anima rationalis hiscè rectè  
& promptè uti nequeat. Talem rationis metamorpho-  
sin & veræ dijudicationis ecclipsin quotidie experiuntur  
Practici in Phrenitide, delirijs cum vel sine feбри, in ly-  
canthropia, mania, nymphomania, philtromania, hydro-  
pho-



phobia &c. Simile delirium ex passione hysterica  
& mensum obstructione enatum, expertus est in vidua  
matrona nobili Clarissimus & Expertissimus Dn.

**RUDOLPHUS GÜNTHER CLAMER,**

Oldenburgensis Westphalus.

qui delirii analysin & curationem methodicam à Pseu-  
domedicatorum & Empyricorum perversa & temeraria cu-  
ratione prorsus recedentem, disquisitioni publica subji-  
ciet, cujus curriculum vitæ & studiorum hic annectere  
consuetudo postulat. Editus autem est in lucem Anno  
M.DC. LXXV. die Parasceves, Patre, Viro Excellentissi-  
mo atque Experientissimo DN. CASPARO GÜNTHE-  
RO CLAMERO, Med. Doct. Christianismi ac Potentis-  
simi CHRISTIANI, Regis Danorum Vandalorum & Go-  
thorum gloriosissimæ memoriæ quondam Archiatro, nec  
non Comitatum Oldenburgi & Delmenhorsti Physico  
Provinciali, Medico militari celeberrimo ac felicissimo  
Practico. Matre verò Nobili ac pientissima CATHARI-  
NA GERDRUTH ex familia Cuhlemanna satis nobili.  
Horum Parentum unica cura fuit, ut non solum bap-  
tismatis lavacro in gremium Ecclesiæ reciperetur, verum  
quoque sub flore ætatis verâ Dei cognitione atque omni-  
morum sva vitate imbueretur, hunc in finem traditus fuit  
Præceptorum in Patria Schola informantium curæ, jactis  
verò fundamentis cum annum ageret decimum quartum,  
Lyceum Mindense missus, ubi singulari eruditione con-  
spicuos Viros invenit, nempe VIROS Clarissimos Dn. Har-  
togh Conrectorem, postmodum verò Dn. M. Grübelium  
Rectorem. In Philosophia verò Cartesiana Dn. Seba-  
stianum Bocklonem, Prof. Horum in docendo fideli ope-  
ræ atque insigni diligentia tam in Græcis, Oratoriis, Lo-  
gicis, Geographicis, Ethicis, Politicis per trium annorum  
spa.



spatium & quōd excurrit, se totum mancipavit, ac in hunc usque diem perceptam doctrinæ gloriam grata recolite. Ab hisce domesticos revocatus lares propter obitum charissimi Parentis & ad profectus perfectiones in humanitatis studiis reddendos, Clarissimi Viri Dn. Ortōnis Menkenii, Scholæ Oldenburgensis Rectoris dignissimi, nec non plurimum Reverendi Viri Dn. Wittmanni, Pastoris quondam in Præoppido Osterburgensi Religioſi amœnissimis Musis per biennium sedulus inrerfuit, quorum melliflūo Nectare vix erectus, ut Athæneum ad Salam situm peteret, plerique è fœdere amicitia conjuncti svafores fuere. Proinde die primo Augusti anni 1696. venito secundo Jenam appulsus, sub Rectoratus vexillo Magnifici & Generosi Dn. Georgii Wolfgang. Wedelii Med. Doct. ac Prof. Publ. Decani tum temporis gravissimi ac Ducum Saxoniorum Consiliarii celeberrimi, in numerum studiosorum receptus est, Eoque Duce ac Autore Excellentissimorum Dn. Professorum Dn. Doct. Hebenstreits Theol. Doct. & Moral. Prof. Publ. uti & Dn. Doct. Schubarthi, nec non Dn. M. Georg. Alberti Hambergi, Mathematicum ac Phys. Prof. Publ. Lectiones tam publicas quam privatas frequentissimè visitavit. In foro deinceps Medico Physiologiæ, Pathologiæ, Therapeutica flosculos Magni Viri Vvedelij avidissimè collegit, ac in Anatomia, Chirurgia & Botanica Excell. Viri Dn. Jodoci Hadriani Slevogti Med. Doct. & P. P. in 4. Cadaveribus humanis informatione fideli usus, inde tantus Medicæ cognitionis apparatus affluxit, ut tertio anno elapso, prementes ob causas patrios clares iterum visitaverit. Ibidem verò varios processus Chymicos elaboravit atque Pharmaciæ rationali mentis acumen intendit, variisque speculationibus Physicis & Mathematicis irretitus fuit, ut verò in hoc



ce studio solidiorem hauriret eruditionem, ad Illustriss.  
Fridericianam Academiam se contulit, & ibidem elegit  
præ aliis manu ductionem Viri Excell. Dn. Friderici Hoff-  
manni Med. Doct. & Prof. Publ. celeberrimi, sub cujus  
umbone theses selectiores ex Physica desumptas tanquam  
Auctor & Respondens publicè defendit. Postmodum ani-  
mum induxit ad intimiora terræ viscera rimanda, cum  
in finem visitavit fodinas Goslarienses, in sylva Hercynia,  
monte S. Andreae, & Baumanni spelunca atque apud Cu-  
riosos cameras mineralibus scatentes sæpius speculatus, in  
quibus cognitionem talem adeptus, ut etiam inter alia  
curiosa Vitriolum nativum purpureum adhuc asservatum  
habeat. Peracto itaque itinere, antequam Patriam re-  
peteret, Hassniæ Doctorales honores expetere, decrevit,  
ibidemque in Numerum civium Academicorum inscri-  
ptus fuit, atque cum Excellentissimis Viris Dn. Casparo  
Bartholino. Dn. Georgio Franco Archiatro Regis Daniae  
sæpius Medicum instituit colloquium, ob alicujus verò  
ægotantis perniciem distractus, mentem suam ad Pra-  
xin direxit, quam per unum annum feliciter continuavit,  
atque per varios casus per tot discrimina rerum in mare  
Balthico perpeffos, domum reversus per semestre spatium  
in Patria Clinicam Praxin feliciter exercuit, ut verò labo-  
rum exantlatorum præmia digna reportaret, eam ob cau-  
sam per antiquæ nostræ Electoralis Academiæ civis factus,  
decenter petiit, ut in Numerum Medicinæ Candidato-  
rum relatus, consuetis subjiceretur Examiniibus, cujus pe-  
titi compos factus, talem se Facultati nostræ exhibuit, ut  
unanimesi Decreto ob præclaram suam eruditionem sum-  
mè in Medicina honoribus dignissimus sit judicatus. Ni-  
hil jam superest, quam ut ultimi publicique examinis lo-  
co Disputationem Inauguralem de Melancholia hysterica

d. 9.



d. 9. Octobris, Deo dante, habendam, defendat. Quem  
Actum solennem, ut Magnificus Dn. Rector, reliquique  
Proceres & Cives Academici sua honorificâ præsentia il-  
lustriorem reddere dignentur, hoc ipso officiosè ac decen-  
ter rogantur & invitantur. P. P. sub Sigillo Facult. Med.  
Dominica 17. post Trinitatis. d. 8. Octobris Anno MDCCII.

(L. S.)





Ji 2149

ULB Halle  
002 410 087

3



sb.

VOA









FACULTATIS  
MEDICÆ

IN

ALMA ac PERANTIQUA ELECTORALI  
AD HIERAM ACADEMIA.

P. t.

DECANUS  
JOANNES  
PHILIPPUS  
EYSELIUS,

MED. DOCT. ANATOM. CHIRURG. ET BO-  
TAN. PROFESS. PUBL. P. L. C.  
LECTOREM BENEVOLUM

*Salvere jubet*

*Eundemque ad disputationem Inauguralem  
officiosè & decenter invitat.*

ERFFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

